

corruptionem fuit, Ens scil. præstantiorum qualitatum aut proprietatum, quàm fuit, quum cinis esset. Aut si quis cæcus nascitur, cuius oculi imperfecti naturaliter nunquam visum acquisivissent, si isti per Salvatoris Potentiam ita elevantur, ut exactè videant & perfectè, quòd naturaliter omninò impossibile est, *Vid. Thomas de Miracul. quest. 1.* Exempla similia plura dantur. Probantque illa, quòd materia in materialibus manendo elevari possit ad recipiendas proprietates maximè principes. Addit *Thomas*, Elementa in corporibus Beatorum perfectius esse habitura, *de Conserv. rer. qv. 10.* quàm si relictæ in suis locis existerent. *Conf. lib. 4. Contra Gentil. capp. 85. 86. 87.* Non autem adeò materia aliqua elevata fuit (de materiâ elevatâ hic nobis sermo, non de hujus elevationis possibilitate per absolutam Dei potentiam) ut Subjectum esse potuerit spiritualium proprietatum. Detur ulla. Quòd Bileami asina loqvuta fuerit quòdque Psittacus nostra verba adhuc conetur, gratis nobis opponitur.

⊙. 17. De *Elevatione* autem supra materiam egregiè, ut aliàs semper, *Thomas*, & quidem in re præsentì disceptat; verba apponimus, nam merentur: *Difficultas hujus quæstionis*, (de unione spiritualis substantiæ cum Corpore disserit Doctor) *ex hoc accidit, quia Substantia spiritualis est quadam res per se subsistens. Forma autem debetur esse in alio, id est, in materiâ, cuius est actus & perfectio. Unde contra rationem substantiæ spiritualis esse videtur, quòd sit corporis Forma. Et propter hoc Gregorius Nicænus in suo libro, quem de animâ fecit, imposuit Aristot. quòd posuit eam non per se subsistentem esse, & corrumpi corrupto corpore, quia posuit eam ἐντελέχειαν, id est, actum vel perfectionem physici corporis. Sed tamen, si quis diligenter consideret, evidenter apparet, quòd necesse sit, aliquam spiritualem substantiam Formam humani corporis esse. Manifestum est enim quòd huic Homini singulari, ut Socrati vel Platoni convenit intelligere; Nulla autem operatio convenit alicui, nisi per aliquam Formam in ipso existentem vel substantialem vel accidentalem, quia nihil agit aut operatur, nisi secundum quòd in actu. Est autem unumquodque actu per formam aliquam vel substantialem, vel accidentalem, cum Forma sit actus. sicut ignis est actu ignis per igneitatem, actu calidus per calorem. Oportet igitur principium hujus operationis, quòd est intelligere formaliter, inesse huic homini. Principium autem hujus operationis non est forma aliqua, cuius esse sit dependens à corpore & materia alligatum*